

faciam habent ex institutione divina; unde tenenda sunt verba determinata consonantia divina institutioni. Institutioni autem dicentis: quodcumque solveritis &c., hæc verba conveniunt: ego absolvo te: ac propterea tenenda sunt. Additur autem ex eodem Angelico responsio ad Magistrum Sententiarum, & ad Guillelmum Parisiensem, quam mox subjungimus.

Ad VIII. Sanctus Thomas citato opusculo cap. 2. dicit, quod Magister Sententiarum, dato, quod tacuerit de forma indicativa, non aliam tamen expressit, nec formam indicativam expresse negavit. De aliis vero Scholasticis subdit, quod vel non constat, quod formam indicativam expresse negaverint; vel si negaverint, non sunt præferendi aliis Doctoribus, qui eodem tempore in Accademia Parisiensi florebant, & formam indicativam admittent; & denique quod quicumque Doctores sunt postponendi verbis Christi, qui expresse dixit: quæcumque solveritis &c. Hanc responsionem verbis hæc illustrat Fratres loco a nobis citato: Et ait merito non constare, quod ita fenserint: Guillelmus enim Parisiensis vult tantum, Sacerdotem non absolvi propria virtute, sed divina; nam ibi quærit, quando certis in casibus Penitens uni tantum Sacerdoti non potest confiteri, cogiturque Confessionem apud duos Sacerdotes edere, seu partiri, quis ex illis gratiam sanctificationis infundat; & ait, utrunque concurrere ad gratiam illam infundendam, quia Confessarius non absolvit more fornicorum Judicum, sed magis orationem facit super Penitentem, ut Deus absolutionem, & gratiam sanctificationis tribuat, ac si diceret, eam gratiam a Deo produci, quem ideo sua Sacerdos oratione rogat. Attamen officium sanctificationis per absolutionem, & benedictionem Sacerdoti tribuit; quo quidem officio vincula peccatorum dirumpuntur, in cordibus Penitentium maculæ asperguntur, gratiæ infunditur, sed per divini nominis invocationem, ut ait cap. 21. Quod autem non negaverit, Sacerdotes habere facultatem remittendi peccata, ex delegata sibi judiciaria autoritate, ipsemet docet capite 4. ubi ait. Id-

circo datas esse Sacerdotibus claves Ecclesie, ut essent, inquit, qui aperirent pulsantibus, & introducerent intrare volentes, & tanquam Officiales misericordie ipsius, fugientes ad ipsum tota gratulatione, & applausu recipere reos, absolvent peccata, remitteret omnibus bonis gratiæ, & gloriæ, spoliatis a latronibus infernalibus restituerent, vulneratis spiritualiter & morbidos calesi medicina, ac virtute divina Sacramentorum medicamentis sanarent: Natalis Alexander de Guillelmo Parisiensi hæc respondet: sensum Guillelmi Parisiensis esse, quod non auctoritate suprema, & absoluta, sed precaria, peccatorem absolvent Sacerdotes; proindeque actui judiciali supplicationem præmittant. Secundo, discrimen intercedere inter forenses Judices, & Confessarium, quod illi non absolvant presumptum reum, nisi ab hoc, aut illo crimine, de quo ipsi intentata fuit; iste vero Penitentes ab omnibus peccatis absolvent. Unde post verba in objectione laudata subdit. Et nemo dubitat, quin possit, & debeat Confessor orare Patrem misericordiarum, ut etiam remittat peccata, quæ nec ipse Penitens in se cognoscit, & eidem Confessori recognoscit. Unde in absolutione contentium non consueverunt dicere Sacerdotes: dimittat tibi Deus peccata, quæ confessus es mihi, sed potius omnia. Certe Alexander Alensis coævus aut supra Guillelmo Parisiensi, meminit absolutionis indicativæ, tanquam usu Ecclesiæ perpetuo consecratæ IV. P. Summæ questionis XX. M. 1. Sacerdos, inquit, per potestatem claris mediator est Dei ad hominem, & hominis ad Deum: Unde per ipsum peccator ascendit ad Deum; & sic est Sacerdos os peccatoris, sive loquens de peccatore, & per ipsum descendit Deus ad hominem, & sic est Sacerdos os Dei, eo quod separat pretiosum a vili. Secundum quod ascendit, habet se per modum inferioris, & supplicantis; secundum quod descendit, per modum superioris, & judicantis. Secundum primum modum potest gratiam impetrare, & ad hoc est idoneus: secundum alterum modum, potest Ecclesiæ reconciliari, & ideo signum ejus præmittitur in forma absolutionis oratio per modum deprecativum, & subjungitur absolutio per modum indicativum.